



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Job Liber Primvs. Textus
Libri Primi Job.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

S AN C T I G R E G O R I I
M O R A L I S E X P O S I T I O N I S
I N B E A T U M J O B
L I B E R P R I M V S.

T E X T U S L I B R I P R I M I J O B

C A P U T P R I M U M.

VIR erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Natiq̄ue sunt ei septem filij, & tres filia. Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingenta asinae, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. Et ibant filij ejus, & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque dilaculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. Quadam autem die, cum venissent filij Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuiti terram, & perambulaui eam. Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra: homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui respondens Satan, ait: Numquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra: sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce universa, quae habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan à facie Domini. Cum autem quadam die filij & filia ejus comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuncius venit ad Iob, qui diceret: Boves arabant, & asinae pascebantur juxta eos, & irruerunt Sabaei, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus, ut nunciarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit è caelo, & tactas oves puerosque consumpsit: & effugi ego solus, ut nunciarem tibi. Sed & adhuc illo loquente, venit alius, & dixit: Chaldaei fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos, & tulerunt eos: nec non & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus, ut nunciarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filijs tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quae corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt: & effugi ego solus, ut nunciarem tibi. Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonsit capite, corruens in terram, adoravit & dixit: Nudus egressus sum de utero matris meae, nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. In omnibus his non peccavit Iob labijs suis: neque stultum quid contra Deum locutus est.

Quod res immensi præconiū sit, inter malos laudabiliter conversari.

CAPUT I.



V *R* erat in terra Hus, nomine Job.]

Idecirco sanctus vir ubi habitaverit dicitur: ut ejus meritum virtutis exprimitur. Hus namque quis nesciat quod sit terra gentilium? Gentilitas autem eò obligata vitiis extitit, quò cognitionem sui conditoris ignoravit. Dicitur itaque ubi habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpa est, inter bonos bonum non esse: ita immensi est præconiū, bonum etiam inter malos extitisse. Hinc est quòd idem beatus Job sibimet attestatur, dicens: *Frater*

sui draconum, & socius struthionum. Hinc Petrus magnis Loth laudibus extulit, quòd bonum inter reprobos invenit, dicens: *Et justum Loth oppressum à nefandorum injusta conversatione eripuit. Aspectu enim, & auditu justus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant.* Qui nimirum cruciari non possent, nisi prava propinquorum opera & audiret, & cerneret. Et tamen aspectu & auditu iustus dicitur: quia iniquorum vita, non delectando iusti aures atque oculos, sed feriendo tangebatur. Hinc Paulus discipulis dicit: *In medio nationis prave & perverse, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Hinc Angelo Pergami ecclesie dicitur: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satane: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* Hinc sancta Ecclesia sponsi voce laudatur, cum ei in amoris Cantico dicitur: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias.* Bene ergo beatus Job, memorata terra gentili, inter iniquos vixisse describitur: ut, iuxta sponsi præconiū, inter spinas liliū crevisse monstraretur. Vnde rectè mox subditur.

Quod simplicitas sine virtute pro rectitudine habenda non sit.

CAPUT II.

Simplex, & rectus.] Nonnulli namque ita sunt simplices, ut rectum quid sit, ignorent: sed eò verè simplicitatis innocentiam deserunt, quòd ad virtutem rectitudinis non assurgunt: quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persisterent per simplicitatem possunt. Hinc est quòd Paulus discipulos admonet dicens: *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo.* Hinc rursum dicit: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitià parvuli estote.* Hinc per semetipsam Veritas discipulis præcipit, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* Utraque enim necessariò in admonitione conjunxit: ut & simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret. Hinc est quòd sanctus Spiritus præsentiam suam hominibus, non in columba solummodo, sed etiam in igne patefecit. Per columbam quippe simplicitas, per ignem verò zelus indicatur. In columba igitur, & in igne sanctus Spiritus ostenditur: quia quicumque illo pleni sunt, sic mansuetudini simplicitatis inserviunt, ut contra culpas delinquentium etiam zelo rectitudinis accendantur. Sequitur:

Quod bona malis admixta Deo accepta esse non possint.

CAPUT III.

Timens Deum, & recedens à malo.] Deum timere est nulla, quæ facienda sunt, bona præterire. Unde per Salomonem dicitur: *Qui Deum*

timet, nihil negligit. Sed quia nonnulli sic bona quædam faciunt, ut tamen à quibusdam malis minimè suspendantur: bene postquam timens Deum dicitur, recedens quoque à malo perhibetur. Scriptum quippe est: *Declina à malo, & fac bonum.* Neque enim bona Deo accepta sunt, quæ ante ejus oculos malorum admixtione maculantur. Hinc namque per Salomonem dicitur: *Qui in uno offenderit, multa bona perdet.* Hinc Jacobus attestatur dicens: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Hinc Paulus ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Beatus igitur Job, ut ostendatur quàm mundus in bonis extitit, solerter indicatur quàm alienus à malis fuit. Mos verò esse narrantium solet, ut cum palæstræ certamen insinuant, prius luctantium membra describant, quàm latum validumque sit pectus, quàm sanum, quàm pleni tumeant lacerti, quàm subter positus venter nec mole gravet, nec extenuatione debilitet: ut cum prius aptos certaminis artus ostenderint, tunc demum magnæ fortitudinis ictus narrent. Quia ergo athleta noster contra diabolum fuerat certaturus, quasi ante arenæ spectaculum sacre scriptor historiae in athleta hoc spiritales virtutes enumerans, mentis membra describit, dicens: *[Erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo,]* ut, dum membrorum positio magna cognoscitur, ex hac ipsa jam fortitudinis positione subsequens etiam victoria prænoletur. Sequitur:

Quod constans Job in amissione substantiæ & filiorum extiterit.

Namque sunt ei septem filii & tres filie.] Sape ad avaritiam cor parentis illicit fecunditas prolis. Ed enim ad ambitum congregandæ hereditatis accenditur, quòd multis heredibus fecundatur. Ut ergo beati Job quàm sancta mens fuerit, ostendatur: & justus dicitur, & multæ prolis pater fuisse perhibetur. Qui in libri hujus exordio devotus sacrificiis offerendis assertur: promptus autem largitibus etiam post à semetipso memoratur. Pensemus ergo quanta fortitudine præditus extitit, quem ad hereditatis tenaciam nec tot heredum affectus inclinavit. Sequitur: *[Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum. Quingenta quoque jugs bovum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis.]* Scimus, quia ad majorem dolorem mentem commovent damna majora. Ut igitur ostendatur, quantæ virtutis extitit, multum fuisse dicitur, quod patienter amisit. Numquam quippe sine dolore amittitur, nisi quod sine amore possidetur. Itaque dum substantia magna describitur, & tamen paulò post patienter amissa perhibetur, quam sine dolore perdidit, constat quia sine amore possedit. Notandum quoque est, quòd prius cordis divitiæ, & post, opes corporis describuntur. Solet etenim rerum abundantia tantò magis à divino timore mentem solvere, quantò magis hanc exigit diversa cogitare. Nam dum per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur. Quod per semetipsam Veritas cum parabola feminantis exponeret, indicavit dicens: *Qui seminatus est in spinis, hic est, qui verbum Dei audit, & sollicitudo hujus sæculi, & fallacia divitiarum, suffocant verbum: & sine fructu efficitur.* Ecce beatus Job & multa possidere dicitur: & paulò post divinis sacrificiis instanter deservire perhibetur. Consideremus ergo, cujus sanctitatis iste vir fuerit, qui ad tam sedula Dei obsequia sic occupatus vacavit. Necdum præcepti virtus emicuerat, quæ omnia relinquere præceperet, sed tamen beatus Job ejusdem jam præceptionis vim corde servabat: quia nimirum substantiam suam in mente reliquerat, quam sine delectatione possidebat. *[Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.]* Orientales viros esse prædivites quis igno-

1. Cor. 14. d
Mar. 10. b
Mat. 3. a
Mat. 2. a

Ps. 36. e
Ecc. 9. d
Iac. 2. b
I. Cor.

Mar. 31. a
Luc. 8. d
Marc.

RECO
di M
Tom

rat? Magnus verò inter Orientales extitit, ac si apertè diceretur: quia & divitibus ditior fuit. [*Et ibant filii ejus, & faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo: & mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.*] Solet inter fratres major substantia, discordiæ fieri gravioris causa. O inestimabilem paternæ institutionis laudem: Et pater dives dicitur, & filij concordēs asseruntur. Et dum dividenda inter eos substantia aderat, corda tamen omnium indivisa charitas replebat. [*Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, surgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.*] Cum dicitur, mittebat & sanctificabat illos, apertè demonstratur, quid districtiōnis erga illos præfens ageret, quibus absens solitudine non deesset.

Quòd convivia sine culpa celebrari non possunt, & pene epulas comitatur voluptas.

CAPUT IV.

SED hoc nobis est solerter intuendum, quòd peractis diebus convivii, purgatio per singulos adhibetur holocausti. Vir quippe sanctus noverat, quia celebrari convivia sine culpa vix possent: noverat quia magna purgatione sacrificiorum diluendæ sunt epulæ conviviorum; & quidquid in semetipsis filii convivantes inquinaverant, pater sacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe sunt vitia quæ à conviviis aut separari vix possunt, aut certè nequaquam possunt. Pene enim semper epulas comitatur voluptas. Nam cum corpus in refectiōnis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Unde scriptum est: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Pene semper epulas loquacitas sequitur: Cumque venter reficitur, lingua defrenatur. Unde rectè dives apud inferos aquam appetere describitur, dicens: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Prius epulatus quotidie dicitur splendè: & post aquam petere in lingua memoratur. Quia enim, ut diximus, inter epulas valdè defluere loquacitas solet, ex pœna indicat culpam, cum eum, quem epulatum quotidie splendè Veritas dixerat, in lingua plus ardere perhibebat. Hi, qui chordarum harmoniam temperant, tantà hanc arte dispensant, ut plerumque, cum una tangitur, longè alia ac multis interjacentibus posita chorda quatiatur: cumque ista sonitum reddit, illa, quæ in eodem cantu temperata est, aliis impercussis, tremat. Sic ergo in Scriptura sacra plerumque de virtutibus, sic de vitiis agitur: ut dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo innotescat. Nihil enim contra divitem de loquacitate memoratur, sed dum pœna in lingua dicitur quæ in convivio inter alias gravior fuerit culpa monstratur. Cum verò septem per singulos dies fratres convivia facere describuntur, & peractis diebus convivii Iob septem sacrificia offerre perhibetur, apertè historia indicat, quòd beatus Iob octavo die sacrificium offerens, mysterium resurrectionis colebat. Dies namque, qui nunc dominicus dicitur, à morte Redemptoris est tertius, sed in ordine conditionis octavus, qui & primus in conditione est. Sed quia revolutus septimum sequitur, octavus rectè numeratur. Qui ergo octavo die offerre septem sacrificia dicitur, plenus septiformis gratiæ spiritu prospere resurrectionis Domino defervisse perhibetur. Unde & Psalmus pro octava præscribitur, in quo gaudium de resurrectione nunciatur. Sed quia beati Iob filii tantà fuerunt disciplinâ bonæ institutionis accincti, ut neque per facta in conviviis, neque per verba delinquerent, apertè monstratur, cum subditur: [*Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, &*

*Evad. 32. b
Deur. 9. b*

Luc. 17. f

A benedixerint Deo in cordibus suis. Perfectos quippe esse in opere & sermone docuerat, pro quibus de sola pater cogitatione metuebat.

Quòd de alterius conscientia non sit temerè judicandum.

CAPUT V.

QUIA verò de alienis cordibus judicare temerè non debeamus, in sancti hujus viri verbis agnoscimus, qui non ait: [*Quia benedixerunt Deum in cordibus suis: sed: Ne forte benedixerint Deo in cordibus suis.*] Unde bene per Paulum dicitur: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quisquis enim in cogitatione à rectitudine exorbitat, in tenebris peccat. Nos ergo tantò minùs debemus aliena corda audacter reprehendere, quantò scimus, quia visu nostro non possumus alienæ cogitationis tenebras illustrare. Sed hoc solerter intuendum est, quanta pater severitate potuit filiorum opera corrigere, qui tanta solitudine studuit corda mundare. Quid ad hæc rectores fidelium dicunt, qui discipulorum suorum vel aperta opera nesciunt? Quid in sua exultatione cogitant, qui commissis sibi nec vulnera actionum curant? Ut verò hujus sancti viri operis etiam perseverantia demonstraretur, rectè subiungitur: [*Sic faciebat Iob cunctis diebus.*] Scriptum quippe est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* In sacrificio igitur sancta actio, in cunctis autem diebus sacrificij, constantia sanctæ actionis ostenditur. Hæc breviter historiam sequendo transcurramus: nunc ordo expositionis exigit, ut exordium repetentes, allegiarum jam secreta pandamus.

1. Cor. 4.

Mat. 13. c. 24. b

[*Vir erat in terra Hus, nomine Iob.*] Hæc per historiam facta credimus, sed per allegoriam jam qualiter sint impleta, videamus. Job namque, ut diximus, interpretatur dolens: Hus verò consiliator. Quem ergo alium beatus Job suo nomine exprimit, nisi eum, de quo Propheta loquitur, dicens: *Dolores nostros ipse portavit? Qui Hus terram inhabitat, quia in corde populi consiliatoris regnat.* Paulus quippe ait: *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Atque hæc ipsa sapientia per Salomonem dicit: *Ego sapientia habito in consilio, & eruditus intersum cogitationibus.* Hus ergo terram inhabitat Job: quia Sapientia, quæ pro nobis passionis dolorem sustinuit, corda vitæ consilij dedita, sibi met habitationem fecit. [*Et erat vir ille simplex & rectus.*] In rectitudine justitia, in simplicitate autem mansuetudo signatur. Plerumque nos cum rectitudinem justitiæ exequimur, mansuetudinem relinquimus: & cum mansuetudinem servare cupimus, justitiæ rectitudinem declinamus. Incarnatus autem Dominus simplicitatem cum rectitudine tenuit: quia nec in mansuetudine districtiōnem justitiæ, nec rursus in districtiōne justitiæ virtutem mansuetudinis amisit. Unde cum quidam, deductâ adulterâ, hunc tentare voluissent, ut in culpam aut immanuetudinis aut injustitiæ laberetur, ad utraque respondit, dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Dat simplicitatem mansuetudinis: *Qui sine peccato est vestrum.* Dat zelum justitiæ: *Primus in illam lapidem mittat.* Unde & ei Propheta dicit: *Intende prospere, procede, & regna propter veritatem & mansuetudinem & justitiam.* Veritatem quippe exequens, mansuetudinem cum justitia conservavit: ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret, nec rursus pondus mansuetudinis zelo rectitudinis perturbaret. Sequitur: [*Activens Deum, & recedens à malo.*] Scriptum est de illo: *Et replevit eum spiritus timoris Domini.* Incarnatus enim Dominus in semetipso omne quod nobis imperavit, ostendit: ut

1. Jo. 5. 4

1. Cor. 13

Prov. 8. b

1. Jo. 8. 5

1. Jo. 4. 4

1. Jo. 11. 4

quod præcepto diceret, exemplo suaderet. Juxta humanitatis ergo naturam Redemptor noster Deum timuit, quia ut superbum hominem redimeret, mortem pro illo humilem suscepit. Cujus bene per hoc, quod recedere à malo Job dicitur, & actio designatur. Ipse quippe recessit à malo, non quod faciundo contigit, sed quod inveniundo reprobavit: quia vetustam, quam natus invenit, humanæ conversationis vitam deseruit: & novam, quam secum detulit, sequacium moribus impressit.

Quod septenarium numerum frequentissime sacra Scriptura pro perfectione ponere consuevit.

CAPUT VI.

Natque sunt ei septem filij, & tres filie. Quid in septenario numero, nisi summa perfectionis accipitur? Ut enim humanæ rationis causas de septenario numero taceamus, quæ asserunt, quod idcirco perfectus sit, quia ex primo pari constat, & primo impari: ex primo, qui dividi potest, & primo, qui dividi non potest, certissime scimus, quod septenarium numerum Scriptura sacra pro perfectione ponere consuevit. Unde & septimo die Dominum requievissè ab operibus asserit. Hinc est etiam, quod septimus dies in requiem hominibus, id est, in sabbatam datus est. Hinc est quod Jubileus annus, in quo plenaria requies exprimitur, septem hebdomadibus consummatur, qui monade addita, nostræ adunationis summa impletur. [Nati sunt ergo ei septem filij.] ad prædicandum scilicet viriliter incedentes Apostoli. Qui dum perfectionis præcepta peragunt, quasi superioris sexus fortitudinem in conversatione tenuerunt. Hinc est enim, quod perfectione septiformis gratiæ spiritus implendi duodecim sunt electi. A septenario quippe numero in duodenarium surgitur. Nam septenarius suis in se partibus multiplicatus, ad duodenarium tendit. Sive enim quatuor per tria, sive per quatuor tria ducantur, septem in duodecim vertuntur. Unde & sancti Apostoli, quia sanctam Trinitatem in quatuor mundi partibus prædicare mittebantur, duodecim sunt electi, ut etiam numero perfectionem ostenderent, quam vita & voce prædicarent. [Nati sunt etiam ei tres filie.] Quid in filiabus, nisi infirmiores fidelis plebes accipimus, [fidem sanctæ Trinitatis tenentes?] Quæ etsi in perfectione operis nequaquam forti virtute permanent, fidem tamen Trinitatis cognitam constanter tenent. In septem ergo filijs ordo prædicantium, in tribus verò filiabus multitudo auditorum signatur. Possunt etiam per tres filias, tres ordines fidelium designari. Post filios quippe filia nominantur, quia post Apostolorum conspectam fortitudinem, tres distinctiones fidelium in Ecclesiæ conversatione secuta sunt: pastorum videlicet, & continentium, atque conjugatorum. Unde & Ezechiel propheta tres liberatos viros audisse se asserit, Noë scilicet, Daniele, & Job. Quid enim per Noë, qui arcam in undis rexit, nisi præpositorum ordo designatur, qui dum ad formam vite populis præfunt, sanctam Ecclesiam in tentationum fluctibus regunt? Quid per Daniele, ejus mira abstinencia describitur, nisi continentium vita figuratur, qui dum cuncta, quæ mundi sunt, deserunt, despecta Babylonis alta mente dominantur? Quid per Job, nisi bonorum conjugatorum vita signatur, qui de rebus mundi, quas possident, dum pia opera faciunt, quasi per terræ viam ad cælestem patriam tendunt? Quia igitur post sanctos Apostolos tres istæ fidelium distinctiones secuta sunt, rectè post filios, tres filie nate memorantur. Sequitur: [Et fuit possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum.] Quia fideles auditores ex varia conversatione col-

S. Greg. Tom. I.

A lecti sunt, quod prius universaliter memoratis filiis & filiabus dicitur, hoc distinctè postmodum appellatione animalium subinfertur. Quid enim aliud in septem millibus ovium, nisi perfectam quorundam innocentiam exprimit, quæ ad perceptionem gratiæ, ex legis pascuis venit? Quid verò in tribus millibus camelorum, nisi ad plenitudinem fidei veniens, tota gentilium vitiositas designatur? In Scriptura autem sacra aliquando cameli nomine ipse Dominus, aliquando autem populus gentilis exprimitur. Cameli enim nomine Dominus designatur, sicut ab eodem Domino Judæis adversantibus dicitur: *Liquantes culicem, camelum autem glutientes.* Culex enim susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. *Li-* Mat. 23.
B quaverunt ergo Judæi culicem, quia seditiosum dimitti latronem petierunt: Camelum verò glutierunt, quia eum, qui ad suscipienda nostræ mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt. Rursus cameli nomine gentilitas designatur. Unde & Rebecca ad Isaac veniens, dorso cameli deditur: quia ad Christum ex gentilitate Ecclesia properans, intortis vitiosisque vitæ veteris conversationibus invenitur. Quæ, viso Isaac, descendit: quia Domino cognito, vitia sua gentilitas deseruit, & ab elatione celsitudinis, ima humilitatis petivit. Quæ & verecundata pallio velatur, quia coram illo ex antea vita confunditur. Unde & per Apostolum eisdem gentibus dicitur: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Quia igitur per oves, Hebræos à pascuis legis ad fidem venientes accipimus, nihil obstat ut per camelos, tortos moribus, atque onustos idolorum cultibus, gentilium populos sentiamus. Quia enim ex semetipsis sibi invenerunt deos, quos colerent: quasi à semetipsis eis onus in dorso excreverat, quod portarent. Potest etiam per camelos, quia communia sunt animalia, Samaritanorum vita signari. Cameli namque ruminant, sed nequaquam vngulam findunt, Samaritani quoque quasi ruminant, quia ex parte legis verba recipiunt: & quasi vngulam non findunt, quia eam pro parte contemnunt; qui etiam grave onus in dorso mentis tolerant, quia id omne, quod faciunt, sine spæ æternitatis elaborant: fidem quippe resurrectionis nesciunt. Et quid esse gravius atque onustius potest, quam afflictionem sæculi prætereuntis perpeti, & nequaquam ad relevationem mentis, gaudia remunerationis sperare? Sed quia in carne Dominus apparens, & Hebræorum populum perfectionis gratia implevit, & Samaritanorum quosdam ad cognitionem fidei, mira opera ostendendo, perduxit: dicatur rectè de umbra, quæ veritatem exprimeret, quod & septem millia ovium, & camelorum tria millia possideret. Sequitur: [Quingenta quoque jugæ boum, & quingenta asina.] Jam superius dictum est, quod in quinquagenario numero, qui septem hebdomadibus ac monade addita impletur, requies designatur: denario autem numero summa perfectionis exprimitur. Quia verò fidelibus perfectio quietis promittitur, quasi quinquagenario decies ducto ad quingentesimum pervenitur. In Scriptura autem sacra boum nomine aliquando hebetudo fatuorum, aliquando bene operantium vita designatur. Quia enim bovis nomine stultorum vecordia figuratur, rectè per Salomonem dicitur: *Statinque eam sequitur,* Prov. 7.
E *quasi bos ductus ad victimam.* Rursus, quia boum nomine vita uniuscujusque operantis exprimitur, Legis præcepta restantur, quæ per Moysen præcepit, dicens: *Non alligabis os bovi trituranti.* Quod aperte rursus dicitur: *Dignus est operarius mercede sua.* Den. 25. 2. Luc. 10.
Asinorum quoque nomine aliquando stultorum pigritia, aliquando immoderata perulantium luxuria, aliquando gentilium simplicitas designatur. Stultorum pigritia, asinorum appellatione figura-

B ij

Deu. 22. tur, sicut per Moysen dicitur: *Non arabis in bove simul & asino.* Ac si diceret: Fatuos sapientibus in prædicatione non facies, ne per eum, qui implere rem non valet, illi, qui prævalet, obfistas. Immoderata quoque petulantium luxuria, asinorum appellatione exprimitur, ut Propheta testatur, qui ait: *Quorum carnes sunt, ut carnes asinorum.* Asinorum rursus nomine, simplicitas gentilis ostenditur. Unde Hierusalem tendens Dominus, a sellum sedisse perhibetur. Quid est enim sedendo asinam Hierusalem venire, nisi gentilium simplicia corda possidendo, ea ad visionem pacis regendo & præsidendo perducere? Quod uno & facili testimonio ostenditur: quia & per boves Iudei operarij, & per asinum gentiles populi designantur, cum per Prophetam dicitur: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Quis enim bos, nisi Iudæi cuius populus extitit, cuius cervicem jugum legis attrivit? Et quis asinus, nisi gentilitas fuit, quam quilibet seductor reperit quasi brutum animal, & nulla ratione renitens, quo voluit errore substravit? Bos ergo possessorem & asinus Domini præsepe cognovit, quia & Hebraicus populus Deum, quem colebat, sed ignorabat, reperit: & gentilitas legis pabulum, quod non habebat, accepit. Quod igitur superius nominatis ovibus & camelis dicitur, hoc inferius in bobus & asinis replicatur. Habetur verò & ante Redemptoris adventum Iudæa boves, quia ad prædicandum misit operarios, quibus voce Veritatis dicitur: *Va vobis hypocrita, qui circumitis mare & aridam, ut faciatis unum profelytum, & cum fuerit factus, faciis eum filium gæbernae duplo, quam vos.* Quos grave jugum legis presserat, quia exteriora litteræ mandata tolerabant. Quibus Veritatis voce dicitur: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Quod ergo in Evangelio bene laborantibus requies promittitur, hoc est, quod hic juga boum quingenta memorantur. Quia qui Redemptoris dominio colla subiiciunt, quò, nisi ad requiem, tendunt? Unde & asinæ quingente perhibentur, quia vocata plebes gentilium, dum ad requiem pervenire desiderant, cuncta mandatorum onera libenter portant. Unde bene, quod hanc requiem populus gentilis appeteret, *Gen. 49.* Jacob filios alloquens, prophetica hoc studuit voce signare, dicens: *Isachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod optima, & supposit humerum ad portandum.* Inter terminos accubare, est præstolato mundi sine requiescere: nihilque de his, quæ nunc in medio versantur, querere, sed ultima desiderare. Fortisque asinus requiem ac terram optimam videt, cum simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternam vitæ patriam tendit. Quæ ad portandum onus humerum supponit, quia conspecta supernâ requie, præceptis etiam gravibus in operatione se subicit, & quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leve ac facile spes remunerationis ostendit. Quia ergo ad æternam requiem pro electorum parte Iudæa gentilitasque colligitur, rectè quingenta juga boum, & quingentæ asinæ haberi perhibentur. Sequitur: *[Ac familia multa nimis.]* Quid est, quod prius animalium multitudo describitur, & familia in extremo memoratur, nisi quod ad cognitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut postea astuta ejus etiam vocarentur? Paulo attestante, qui ait: *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes.* Ipsa namque sanctæ Ecclesiæ principia, litterarum perhibentur ignara, ut videlicet cunctis prædicatoribus suis Redemptor ostenderet, quod ad vitam credentes populos non sermo, sed causa suaderet. Sequitur: *[Erat vir ille ma-*

gnus inter omnes Orientales.] Quod Redemptor noster Oriens dicitur, Propheta testante perhibetur, qui ait: *Et ecce vir Oriens nomen ejus.* Omnes ergo, qui in hoc Oriente fide constitunt, rectè Orientales vocantur. Sed quia omnes homines tantummodo homines sunt, ipse autem Oriens Deus & homo, rectè dicitur: *[Erat magnus inter omnes Orientales.]* Ac si aperte diceretur: Omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut ceteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat, qui etsi humanitate ceteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis.

Quid per allegoricum sensum, per convivium aliorum, & vocationem filiarum intelligatur.

CAPUT VII.

ET ibant filij ejus & faciebant convivium per domos.] Filij facturi convivium per domos ibant, cum prædicatores Apostoli in diversis mundi regionibus, virtutum epulas audientibus, quasi edentibus ministrabat. Unde & eisdem filiis de esurientibus plebibus dicitur: *Date illis vos manducare.* Et rursus: *Dimittite eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Ac si diceret: in prædicatione vestra verbum consolationis accipiant, ne à veritatis pabulo jejuni remanentes, in hujus vitæ labore succumbant. Hinc rursus eisdem filiis dicitur: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Quæ convivium quomodo exhiberentur, adjungitur, cum protinus subinfertur: *[Unusquisque in die suo.]* Si ignorantia obscuritas, sine dubitatione, nox cordis est, intellectus non immerito dies vocatur. Unde & per Paulum dicitur: *Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem.* Ac si aperte dicat: Alius quædam, nonnullis intermissis, intelligit, alius verò omnia intellectu possibilia, ita ut sunt videnda, cognoscit. Unusquisque ergo filius in die suo convivium exhibet, quia sanctus quisque prædicator juxta mensuram illuminatæ intelligentiæ, mentes audientium epulis veritatis pascit. In die suo Paulus fecerat convivium, cum dicebat: *Beatores erunt, si sic permanserint, secundum meum consilium.* De die suo unumquemque admonere cogitare, cum diceret: *Unusquisque in suo sensu abundet.* Sequitur: *[Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.]* Sorores filij ad convivium vocant, quia infirmis auditoribus sancti Apostoli refectiois supernæ gaudia prædicant, eorumque mentes, quia à veritatis pabulo jejunas aspiciunt, divini eloquij epulis pascunt. Bene autem dicitur: *[Ut comederent & biberent cum eis.]* Scriptura enim sacra aliquando nobis est cibus, aliquando potus. Cibus est in locis obscurioribus, quia quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur. Potus verò est in locis apertioribus, quia ita sorbetur sicut invenitur. Cibus vidit Prophetam Scripturam sacram, qui exponendo frangeretur, cum diceret: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis:* id est, infirmi quique Scripturæ sacræ valentiores sententias petierunt exponendo comminui, sed qui exponere debeat, non valet inveniri. Potum vidit Scripturam sacram Prophetam, cum diceret: *Omnes sitientes venite ad aquas.* Si potus aperta mandata non essent, per semetipsam Veritas non clamaret: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat.* Quasi cibus & potum vidit Prophetam Iudæa defuisse, cum diceret: *Nobiles ejus interiorum fame, & multitudo ejus siti exaruit.* Paucorum quippe est, fortia & occulta cognoscere, multorum verò, historiæ aperta sentire. Idcirco Iudæa nobiles non siti, sed fame interisse asserit, quia hi, qui præesse videbantur, dum totos se exteriori intelligentiæ dederant, quod de intimis discutiendo manderent, non habebant. Quia verò sublimioribus ab intellectu interno cadentibus, parvulorum intelligentia & in exterioribus exsiccat, rectè illic adjungitur: *Multitudo*

eius siti exaruit. Ac si aperte diceret: Dum vulgus studium vite suae deserit, jam nec fluente historiae exquirat. Et tamen occulta sacri eloquij mandata & aperta se intellexisse testantur, qui reprobanti se iudici conquirentes dicunt: *Manducavimus & bibimus coram te. Quod aperte exponendo subiungunt: Et in plateis nostris docuisti. Quia ergo sacra eloquia in locis obscurioribus exponendo franguntur, in locis vero apertioribus, ita ut inventa fuerint, potantur, dicatur recte: Mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.* Ac si aperte diceretur: Infirmos quosque blanda ad se persuasione deducebant, quatenus eorum mentes, & magna per contemplationem differentes pascerent, & parva per historiam tradentes nutrent. Sequitur: *[Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.]* In orbem dies convivii transeunt, cum praedicationis ministeria peraguntur. Peractisque convivij, holocaustum Job pro filiis obtulit: quia per Apostolis de praedicatione redeuntibus, Patrem Redemptor exoravit. Bene autem mittendo sanctificare dicitur, quia dum Spiritum sanctum, qui a se procedit, discipulorum cordibus tribuit, quidquid eis culpa inesse potuit, emundavit. Recteque ad offerenda holocausta diluculo confurgere perhibetur: quia per hoc, quod pro nobis intercessionis sua petitionem obtulit, discussa erroris nocte, humanae mentis tenebras illustravit: ne quo peccati contagio, ex ipsa praedicationis gratia, mens in occulto polluatur: ne sibi quae agit, tribuat: ne sibi tribuendo quae agebat, amittat.

Quod maledicere Deo, sit de ejus beneficio superbire.

CAPUT VIII.

Vnde recte subiungitur: *[Dicebat enim ne forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.]* Deo quippe benedicere, id est maledicere, est de ejus munere sibi gloriam praebere. Unde recte sanctis Apostolis post praedicationem Dominus pedes lavit: ut videlicet aperte monstraret, quia plerumque & in bono opere peccati pulvis contrahatur, & inde inquinantur vestigia loquentium, unde audientium corda mundantur. Nam saepe nonnulli dum exhortationis verba faciunt, quamquam tenuiter, sese intrinsecus, quia per eos gratia praedicationis derivatur, extollunt. Cumque verbo aliena opera diluunt, quasi ex bono itinere pulverem malae cogitationis sumunt. Quid ergo fuit post praedicationem pedes discipulorum lavare, nisi post praedicationis gloriam, cogitationum pulverem tergere, gressusque cordis ab interna elatione mundare? Nec obstat ab omnimoda mediatoris scientia quod dicitur: *[Ne forte peccaverint.]* Nam cuncta sciens, sed in semetipso ignorantiam nostram suscipiens, atque dum suscipit docens: nonnumquam quasi ex nostra dubitatione loquitur, sicut dicit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem super terram?* Expletis ergo convivij, sacrificium pro filiis Job offerens dicebat: *[Ne forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.]* Quia Redemptor noster postquam praedicatores suos a malis impugnantibus diluit: etiam inter bona, quae egerant, & a tentationibus defendit.

Quod omnibus diebus sacrificium Deo pro nobis Filius offerre non cessat.

CAPUT IX.

[Sic faciebat Job cunctis diebus.] Cunctis diebus Job sacrificium offerre non cessat, quia sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat,

qui sine cessatione Patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Ipsa quippe ejus incarnatio nostrae emundationis oblatio est. Cumque se hominem ostendit, delicta hominis interveniens diluit, & humanitatis suae mysterio perenne sacrificium immolat, quia & haec sunt aeterna, quae mundat. Igitur quia in ipso expositionis exordio sic personam beati Job nunciare Dominum diximus, ut designari per illum caput & corpus, id est, Christum & Ecclesiam diceremus: postquam caput nostrum quomodo designatum credatur, ostendimus: nunc corpus ejus, quod nos sumus, quomodo exprimitur, indicemus: ut quia audivimus ex historia, quod miremur, cognovimus ex capite, quod credamus, confidoremus nunc ex corpore, quid vivendo teneamus. In nobismetipsis namque debemus transformare, quod legimus: ut cum per auditum se animus excitat ad operandum, quod audierat vita concurrat.

Quod hi, quos inhabitat consilij spiritus, in praesentibus dolent, & ad aeterna suspirant.

CAPUT X.

[Ite erat in terra Hus, nomine Job.] Si Job dolens, & Hus consiliator dicitur, non immerito per utraque nomina electus quisque figuratur: quia nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de praesentibus ad aeterna festinat. Nam sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, & dum transitoria appetunt, dum aeterna vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere consilium sciunt. Cumque superna, quae amiserunt, non considerant, esse se, heu miseri, in bonis felices putant. Nequaquam enim ad veritatis lucem, cui conditi fuerant, mentis oculos erigunt: nequaquam ad contemplationem patriae aeternae desiderij aciem tendunt: sed semetipsos in his, ad quae projecti sunt deserentes, vice patriae diligunt exilium, quod patiuntur, & in caecitate, quam tolerant, quasi in claritate luminis exultant. At contra electorum mentes dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quae sunt conditae, exquirunt; cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata illorum cogitatio, in conditoris sui spe & contemplatione requiescit, supernis interferi oivibus appetit, & unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit: aeternam nam exilij, quam tolerat, deplorat, & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat. Cum ergo dolens videt, quam sit aeternum, quod perdidit, invenit salubre consilium, temporale hoc despiciere, quod percurrit; & quod magis crescit consilij scientia, ut peritura deleat, eo augetur dolor, quod necdum ad mansura pertingat. Unde bene per Salomonem dicitur: *Qui addit scientiam, Eccl. 2.6. addit & dolorem.* Qui enim scit jam summa, quae adhuc non habet, magis de infimis, in quibus retinetur, dolet. Recte ergo in terra Hus habitare Job dicitur, quia in scientiae consilio electi uniuscuiusque dolens animus tenetur. Invenendum quoque est, quod nullus dolor mentis sit in actione praecipitationis. Qui enim sine consilij vivunt, qui seiplos rerum eventibus praecipites deserunt, nullo interim cogitationum dolore fatigantur. Nam qui solerter in vitae consilio figit mentem, caute sese in omni actione circumspiciendo considerat; & ne ex re, quae agitur, repentinus finis adversusque surripiat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat, pensat, ne ab his, quae agenda sunt praepediat formido: ne in his, quae differenda sunt praecipitatio impellat: ne prava per concupiscentiam aperto bello superent, ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. Job ergo in

terra Hus habet, dum mens electi quò magis per consilium vivere nititur, eò angustî itineris dolore fatigatur. Sequitur:

Quò sancta Ecclesia simplicitatis & rectitudinis vias à timore incipit, & in charitate consummat.

CAPUT XI.

Simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.] Quisquis eternam patriam appetit, simplex proculdubio & rectus vivit, simplex videlicet opere, rectus fide: simplex in bonis, quæ inferiùs peragit, rectus in summis, quæ in intimis sentit. Sunt namque nonnulli, qui in bonis, quæ faciunt, simplices non sunt: dum non in his retributionem interiùs, sed exteriùs favorem querunt. Unde bene per quemdam sapientem dicitur: *Eccl. 2. 6* **V**a peccatori terram ingrediendi duobus vijs. Duabus vijs peccator quippe terram ingreditur, quando & Dei est, quod opere exhibet, & mundi, quod per cogitationem querit. Bene autem dicitur: [*Timens Deum, & recedens à malo.*] Quia sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat: cui tunc est funditus à malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, quò peccare vellet, si inultè potuisset. Rectè ergo cum timere Deum Job dicitur, recedere etiã à malo perhibetur: quia dum metum charitas sequitur, ea, quæ metu relinquuntur, etiã per cogitationis propositum culpa calcatur. Et quia ex timore vnumquodque vitium premitur, ex charitate autem virtutes oriuntur, rectè subjun-

Quò fecunditas spiritalis propter septiformem spiritum in filijs septem & in tribus filiabus, fides, spes, & charitas intelligantur.

CAPUT XII.

Natiquæ sunt ei septem filij & tres filie.] Septem quippe filij nobis nascuntur, cum per conceptionem bonæ cogitationis, sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Hanc namque internam prolem Propheta dinumerat, cum spiritus mentem fecundat, dicens: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientie & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Cum ergo per adventum Spiritus sancti, sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, ac timor Domini in animo unicuique nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur, quæ superne nostræ nobilitatis genus eò ad vitam longiùs servat, quò amor æternitatis sociat. Sed habent in nobis septem filij, tres proculdubio sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei, charitatisque conjungunt. Neque enim ad denarij perfectionem septem filij perveniunt: nisi in fide, spe, & charitate fuerit omne, quod agunt. **E** Quia verò hanc præcuntium virtutum copiam multimoda bonorum operum cogitatio sequitur, rectè subjungitur:

Quò possessio ovium, & asinorum, & camelorum sit subingatio illorum, quos aliquando vel formido dissolvit, vel superbia inflat, vel luxuria inquinat.

CAPUT XIII.

ET fuit possessio eius septem millia ovium & tria millia camelorum.] Servata quippe veritate historia, imitari spiritualiter possumus, quod carnaliter audimus. Ovium enim septem millia possidemus, cum

A cogitationes innocuas, perfecta cordis munditia, intra nosmetipsos, inquisito veritatis pabulo, pacimus. Eruntque nobis in possessione etiam tria millia camelorum, si omne, quod in nobis altum, ac tortuosum est, rationi fidei subditur, & sub cognitione Trinitatis, sponte in appetitu humilitatis inclinatur. Camelos quippe possidemus, si quod altum sapimus, humiliter deponamus. Camelos proculdubio possidemus, cum cogitationes nostras ad infirmitatis fraternæ compassionem flectimus, ut vicissim onera nostra portant, alienæ infirmitati compati condescendendo noverimus. Possunt etiam per camelos, qui ungulam nequaquam findunt, sed tamen ruminant, terrenarum rerum bonæ dispensationes intelligi: quæ quia habent aliquid sæculi, & aliquid Dei, per commune eas necesse est animal designari. Neque enim terrena dispensatio, quamvis æternæ utilitati serviat, sine perturbatione mentis valet exhiberi. Quia igitur per hanc & ad præsens mens confunditur, & in perpetuum merces paratur, quasi commune animal, & aliquid de lege habet, & aliquid non habet. Ungulam namque non findit, quia non se penitus anima ab omni terreno opere disjungit: sed tamen ruminat, quia bene dispensando temporalia, per certitudinis fiduciam cælestia sperat. Terrenæ igitur dispensationes quasi camelorum more, capite legi concordant, pede discrepant; quia & cæli sunt illa, quæ iustè viventes appetunt: & hujus mundi sunt ea, in quibus opere versantur. Nos ergo cum eadem terrenas cognitioni Trinitatis dispensationes subdimus, quasi camelos intra indivisibilem numerum fide possidemus. Sequitur: [*Quingenta quoque iuga boum, & quingentæ asinæ*] Juga boum in usum nostræ possessionis sunt, dum concordantes virtutes exarant duritiam mentis. Quingentas quoque asinas possidemus, cum lascivientes motus restringimus: & quidquid in nobis carnale exurgere appetit, spiritali cordis dominatu refrænamus. Vel certè asinas possidere, est cogitationes intra nos simplices regere: quæ dum in subtiliori intellectu currere non valent, quò quasi pigrius ambulant, eò fraterna onera mansuetius portant. Sunt namque nonnulli, qui dum alta non intelligunt, per exteriora conversationis opera se humilius premunt. Bene ergo per asinas, pigrum quidem animal, sed tamen portandis oneribus deditum, simplices cogitationes accipimus; quia dum nostram plerumque ignorantiam cognoscimus, levius onera aliena toleramus. Cumque nos quasi singularis sapientie altitudo non elevat, ad perfectam alieni cordis inertiam, mens se nostra equanimiter inclinat. Rectè autem sive juga boum, sive quingentæ asinæ referuntur: quia vel in hoc, quò prudenter sapimus, vel in hoc, quò humiliter ignoramus, dum æternæ pacis requiem querimus, quasi intra Jubilei numerum tenemur. Sequitur:

Quò multa familia, id est, multitudo cogitari: num sit sub mentis dominio restringenda.

CAPUT XIV.

Ac familia multa nimis.] Multam familiam nimis possidemus, cum cogitationes innumeras sub mentis dominatione restringimus: ne ipsa sui multitudine animum superent, ne perverso ordine discretionis nostræ principatum calcant. Et bene cogitationum turba multæ familiæ appellatione signatur. Nam scimus, quòd absente domina, ancillarum lingua perstrepuerit, silentium deserunt, deputati operis officia negligunt, torumque ordinem sibi met vivendi confundunt. At si repente domina veniat, mox perstreperentes linguæ reticent,

officia uniuersusque operis repetunt: sicque ad A opus proprium, ac si non recesserint, reuertuntur. Si igitur a domo mentis ad momentum ratio discedat, quasi absente domina, cogitationum se clamor, velut garrula ancillarum turba multiplicat. Ut autem ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancilla se ad iunctum opus tacite reprimunt: dum cogitationes proinus causis se propriis ad utilitatem subdunt. Possidemus ergo multam familiam, cum recto iure innumeris cogitationibus rationis discretionem dominamur. Quod nimirum cum solerter agimus, Jungi per eandem discretionem Angelis conamur. Unde recte subiungitur: [*Eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.*] Tunc namque magni inter omnes Orientales efficitur, cum eis spiritibus, qui orienti luci inhererent, pressa carnalis corruptionis nebula, discretionis nostrae radiis, in quantum possibilitas suppetit, sociamur. Unde & per Paulum dicitur: *Nostra conversatio in caelis est.* Quisquis temporalia ac defectiva sequitur, occasum petit: quisquis vero superna desiderat, quia in Oriente habitat, demonstrat. Magnus ergo non inter Occidentales, sed inter Orientales efficitur, qui non inter malorum actiones ima & fugitiva quærentium, sed inter choros proficere supernorum civium conatur. Sequitur:

Quomodo singulae virtutes in suo die convivium faciunt.

CAPUT XV.

ET ibant filij eius, & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo.] Filij per domos convivium faciunt, dum virtutes singulae juxta modum proprium mentem pascunt. Unde bene dicitur: *Unusquisque in die suo.* Dies enim uniuersusque filij, est illuminatio uniuersusque virtutis. Ut enim hæc ipsa dona breviter septiformis gratiae replicem: alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor. Neque enim hoc est sapere, quod intelligere: quia multi æterna quidem sapiunt, sed hæc intelligere nequaquam possunt. Sapientia ergo in die suo convivium facit: quia mentem de æternorum spe & certitudine reficit. Intellectus in die suo convivium parat: quia in eo, quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illustrat. Consilium in die suo convivium exhibet: quia dum præciprem esse prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die suo convivium agit: quia dum adversa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die suo convivium parat: quia in ventre mentis ignorantia jejuniium superat. Pietas in die suo convivium exhibet: quia cordis viscera misericordiae operibus replet. Timor in die suo convivium facit: quia dum premit mentem, ne de præsentibus superbiat, de futuris illam spei cibo confortat. Sed illud in hoc filiorum convivio perscrutandum video, quod semetipsos invicem pascunt. Valde enim singula virtus qualibet destituitur, si non una alij virtus virtuti suffragetur. Minor quippe est sapientia, si intellectu careat, & valde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat: quia cum altiora sine sapientiæ pondere penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat. Vile est consilium, cui robur fortitudinis deest: quia quod tractando invenit, carens viribus, usque ad perfectionem operis non perducit. Et valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur: quia quod plus se posse conspiciat, eò virtus sine rationis moderamine deterius in præceps ruit. Nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet: quia dum bona cognita exequi ne-

gligit, sese ad iudicium ætatis stringit. Et valde inutilis est pietas, si scientiæ discretionem caret: quia dum nulla hanc scientia illuminat, quomodo mereatur ignorat. Timor quoque ipse nisi has etiam virtutes habuerit, ad nullum opus proculdubio bonæ actionis surgit: quia dum ad cuncta trepidat, ipsa sua formidine à bonis omnibus torpens vacat. Quia ergo alternato ministerio virtus à virtute reficitur, recte dicitur, quod apud se filij vicissim convivantur. Cumque una aliam sublevando sublevar: quasi per dies suos numerosa soboles pacenda convivium parat. Sequitur:

Tres sorores ad fratrum convivium vocantur, quando gaudent virtutes virtutibus, & invicem sibi subserviunt ac ministrant.

CAPUT XVI.

ET mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.] Cum virtutes nostræ in omne quod agunt, spe, fide, & charitate fulciuntur, quasi operantes filij, tres ad convivium sorores vocant: ut fides, spes, charitas in opus bonum gaudeant, quod unaquæque virtus administrat. Quæ quasi ex cibo vires accipiunt, dum bonis operibus fidentiores fiunt, & dum post cibum, contemplationis rore infundi appetunt, quasi ex poculo ebriantur. Sed quid est, quod in hac vita sine quavis tenuissimi contagij inquinatio peragatur? Nonnumquam namque ipsi bonis, quæ agimus, ad deterius propinquamus: quia dum lætitiæ menti pariunt, quamdam etiam securitatem gignunt: dumque mens secura redditur, in torporem laxatur. Nonnumquam verò virtutes aliquantula elatione nos polluiunt: & tantò dejectiores apud Deum faciunt, quantò apud nosmetipsos tumidiores reddunt. Unde bene subiungitur:

Quod filios post convivium sanctificare, est retractatio operum & discussio cogitationum.

CAPUT XVII.

Cumque in orbem transissent dies convivij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos.] Peracto quippe orbe dierum convivij, mittere ad filios, & eos sanctificare, est post virtutum sensum intencionem cordis dirigere, & omne quod agitur, districta retractationis discussione mundare: ne bona æstimentur quæ mala sunt, ne saltem veraciter bona putentur sufficientia, cum perfecta non sunt. Sic enim mens plerumque decipitur, ut aut qualitate mali, aut boni quantitate fallatur. Sed hos virtutum sensus melius preces, quam discussiones inveniunt: nam ea, quæ perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, sæpe veriùs orando quam investigando penetramus. Cum enim mens per quardam compunctionis machinam ad alta suffollitur, omne, quod ei de seipsa occurrerit, sub seipsa dijudicando certius contemplatur. Unde & recte subiungitur:

Quod holocaustum per singulos offerre, sit singularium virtutum circumspècta & pura intentio.

CAPUT XVIII.

Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos.] Diluculo namque consurgimus, cum compunctionis luce perfusi humanitatis nostræ noctem deserimus, & ad veri luminis radios oculos mentis aperimus. Atque holocaustum per singulos filios offerimus, cum pro unaquæque virtute Domino hostiam nostræ precis immolamus, ne sapientia elevet: ne intellectus, dum subtiliter currit, aberret; ne consilium, dum se multiplicat, confun-

dat: ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet: ne scientia, dum novit & non diligit, inflet: ne pietas, dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat: ne timor, dum plus iusto trepidat, in desperationis foveam mergat. Cum ergo pro unaquaque virtute, ut pura esse debeat, preces Domino fundimus, quid aliud, quam juxta filiorum numerum holocaustum per singulos exhibemus? Holocaustum namque totum incensum dicitur: Holocaustum igitur dare, est totam mentem igne compunctionis incendere, ut in ara amoris ardeat, & quasi delicta propriæ sobolis, inquinamenta cogitationis exurat. Sed hæc agere nesciunt, nisi hi, qui priusquam cogitationes ad opus prodeant, internos suos motus sollicitè circumspicientes frenant. Hæc cavere nesciunt, nisi hi, qui virili custodia munire mentem noverunt. Unde rectè inopinata morte extinctus Isboseth dicitur, quem & Scriptura sacra, non in domo ostiarii, sed ostiariam habuisse testatur, dicens: *Venientes filij Remmon Berothite, Rechab & Banaa, ingressi sunt, servente die, domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie. Ingressi sunt autem domum: & ostiaria domus purgans triticum obdormivit: qui assumens spicas tritici, latenter ingressi sunt, & percusserunt eum in inguine.* Ostiaria triticum purgat, cum mentis custodia discernendo, virtutes à vitiis separat. Quæ si obdormierit, in mortem proprii domini insidiatores admittit: quia cum discretionis sollicitudo cessaverit, ad interficiendum animum malignis spiritibus iter pandit. Qui ingressi spicas tollunt: quia mox bonarum cogitationum germina auferunt, atque in inguine ferunt: quia virtutem cordis delectatione carnis occidunt. In inguine quippe ferire, est vitam mentis delectatione carnis perforare. Nequaquam verò Isboseth iste hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, idest mollem custodiam ad mentis aditum deputasset. Fortis namque virilique sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentia somnus opprimat, nec ignorantia error fallat. Unde bene & Isboseth appellatus est, qui custodè femina hostilibus gladiis nudatur. Isboseth quippe vir confusionis dicitur. Vir autem confusionis est, qui forti mentis custodia munitus non est: quia dum virtutes se agere æstimat, subintrantia vitia nescientem necant. Tota itaque virtute muniendus est aditus mentis, ne quando eam insidiantes penetrent foramine neglectæ cogitationis. Hinc Salomon ait: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Virtutes ergo, quas agimus, dignum est, ut summopere ab intentionis origine pensemus, ne ex malo ortu prodeant, etiam si recta sunt, quæ ostentant.

Quanta solitudine abstinendum sit à malo opere, cur etiam districtè servi Dei judicentur de cogitatione.

CAPUT XIX.

Vnde hîc quoque rectè subjungitur: *Dicebat enim: Ne forte peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.]* Filij in cordibus maledicunt, cum recta nostra opera à non rectis cogitationibus prodeunt, cum bona in aperto exerunt, sed in occulto noxia moliuntur. Deo quippe maledicunt, cum mentes nostræ se de se æstimant habere, quod sunt. Deo maledicunt, cum se & ab illo accepisse vires intelligunt: sed tamen de ejus muneribus propriam laudem querunt. Sciendum verò est, quòd bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur: ut videlicet hoc, quòd rectum coram hominibus agitur, in interni judicis conspectu vitietur. Aliquando namque in bono opere intentionem polluit, ut omne, quod in actione sequitur, eò purum mundumque non exeat, quòd hoc ab origine perturbat. Aliquando verò intentionem boni ope-

ris vitare non prævalet, sed in ipsa actione se quasi in itinere opponit: ut cum per propositum mentis securior quisque egreditur, subjuncto latenter vitio, quasi ex insidiis perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitat, nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine actionis illaqueat: quantoque vel à domo cordis, vel ab itinere operis longius recessisse se stimulat, tantò ad decipiendum bonæ actionis terminum astutiùs expectat: & quòd incantum quemque quasi recedendo securum reddiderit, eò illum repentino nonnumquam vulnere durius insanabiliusque transfigit. Intentionem quippe in bono opere polluit: quia cum facilia ad decipiendum corda hominum conspiciat, eorum desiderijs insanabiliusque favoris apponit; ut in his, quæ recta faciunt, ad appetenda ima tortitudine intentionis inclinentur. Unde rectè sub Judææ specie de unaquaque anima misera intentionis laqueo capta per Prophetam dicitur: *Facti sunt hostes ejus in capite.* Ac si apertè diceretur: Cum bonum opus non bona intentione sumitur, huic advertantes spiritus ab ipso cogitationis exordio principantur: tantoque eam plenius possident, quanto & per initium dominantes tenent. Cum verò intentionem vitare non prævalet, in via positos laqueos tegunt, ut in eo, quòd bene agitur, cor exaltans se ex latere ad vitium deriveret: quatenus quòd inchoans aliter proposuerat, in actione longè aliter, quàm cœperat, percurrat. Sæpe enim bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat: quæ quamvis quæsitâ non fuerat, tamen oblata delectat. Cujus delectatione cum mens bene operantis resolvitur, ab omni intentionis intimæ vigore dissipatur. Sæpe se bene inchoate nostræ justitiæ ex latere ira subjungit, & dum zelo rectitudinis immoderatè mentem turbat, cunctam quietis intimæ salutem fauciat. Sæpe gravitatem cordis quasi ex latere subjuncta tristitia sequitur, atque omne opus, quòd mens bona intentione inchoat, hæc velamine meroris obumbrat. Quæ & nonnumquam tantò tardius repellitur, quanto & pressæ menti quasi ferior famulatur. Sæpe se bono operi lætitiâ immoderata subjungit, cumque plus mentem, quàm decet, hilarescere exigit, ab actione bona omne pondus gravitatis repellit. Quia enim etiam bene inchoantibus subesse in itinere laqueos Psalmista conspexerat, rectè prophético plenus spiritu dicebat: *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Quòd bene ac subtiliter Hieremias insinuat: qui dum gesta foris referre studuit, quæ intus apud nominatiplos gererentur, indicavit, dicens: *Venerunt octoginta viri de Sichelon, & de Silo, & de Samaria, rasi barbâ, & scissis vestibus, squalentes: munera & thus habebant in manu, ut offerrent in domo Domini.* Egressus autem Ismael filius Nathaniæ in occursum eorum de Masphas, incedens & plorans ibat. Cumque occurrisset eis, dixit ad eos: *Venite ad Godoliam filium Aicham.* Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos. Barbam quippe radunt, qui sibi de propriis viribus fiduciam subtrahunt. Vestes scindunt, qui sibi metipsum in exterioris decoris laceratione non parcunt. Oblaturi in domo Domini thus & munera veniunt, qui exhibere se in Dei sacrificio orationem cum operibus pollicentur. Sed tamen si se in ipsa sanctæ devotionis via cautè circumspicere nesciunt, Ismael Nathaniæ filius in eorum occursum venit, quia nimirum quilibet malignus spiritus, prioris sui, satanæ videlicet exemplo in superbia errore generatus, se ad laqueum deceptionis opponit. De quo & bene dicitur: *Incendens & plorans ibat:* quia ut devotas mentes interimere feriendo prævaleat, semetipsum quasi sub velamine virtutis occultat: & dum concordare se verè lugentibus simulat, ad cordis intimam securius admittit, hoc, quòd intus de virtute latet, occidit: qui plerumque se spon-

* al.
cor ar-
deat.

2. Reg. 4.
6

Provu. 4.
d

Thren. 2

1. Reg. 14. a

1. Jer. 41. a

der ad altiora provehere. Unde & dixisse perhibetur: *Venite ad Godoliam filium Aicham.* Atque dum majora promittit, etiam minima subtrahit. Unde & recte dictum est: *Qui cum venissent ad medium civitatis, interfecerunt eos.* Vires ergo ad offerenda Deo munera venientes, in medio civitatis interficit: quia divinis dedit operibus mentes, nisi magna se circumspectione custodiant, hoste surripiente, dum devotionis hostiam portant, in ipso itinere perdunt vitam. De cuius hostis manu non evadit, nisi citius ad penitentiam recurratur. Unde illic apte subiungitur: *Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia habemus in agro thesauros frumenti, & hordei, & olei, & mellis, & non occidit eos.* Thesaurus quippe in agro est spes in penitentia, quae quia non cernitur, quasi in terra cordis suffossa continetur. Qui ergo thesauros in agro habuere, servati sunt: quia qui post in cautela suae vitium, ad lamenta penitentiae redeunt, nec capti moriuntur. Cum vero antiquus hostis neque in exordio intentionis ferit: neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit. Quem tanto nequius obfidet, quanto solum sibi remansisse ad decipiendum videt. Hos namque fini suo laqueos oppositos Propheta conspexerat, cum dicebat: *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus signatur actionis? Sive ergo maligni spiritus, sive pravi quique homines, illorum superbiae sequaces, calcaneum observant, cum actionis bonae finem vitare desiderant. Unde & eidem serpenti dicitur: *Ipsa tuum observabit caput, & tu calcaneum ejus.* Caput quippe serpentis observare, est initia suggestionis eius aspicere, [& manu sollicita considerationis à cordis aditu funditus extirpare.] Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur: quia est suggestionis prima intentionem non percutit, decipere in fine tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, & terminus ab hoste callido securè possidetur: quoniam tota sibi arborem fructus ferre conspiciat, quam veneni dente in radice vitavit. Quia ergo summa cura vigilandum est, ne vel bonis operibus serviens mens, reprobam intentione polluat, rectè dicitur: *[Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.]* Ac si aperte diceretur: Nullum est bonum, quod foris agitur, si non pro eo, intus ante Dei oculos, innocentiae victima in ara cordis immolatur. Tota itaque virtute perspicendus est fluvius operis, si purus emanat ex fonte cogitationis. Omni cura servandus est a malitiae pulvere oculus cordis, ne hoc, quod in actione rectum hominibus ostentat, apud semetipsum per vitium pravae intentionis in torqueat. Curandum itaque est, ne bona nostra pauca sint: curandum, ne indiscussa; ne aut pauca agentes, inveniamur steriles; aut indiscussa relinquentes, vacordes. Neque enim unaquaeque verè virtus est, si mixta alijs virtutibus non est. Unde rectè ad Moysen dicitur: *Sume tibi aromata, stactem & onycha, galbanum boni odoris; & thus lucidissimum, & qualis ponderis erunt omnia: faciesque thymiamis compositum opere unguentarii, mixtum diligenter & purum.* Thymiamia ex aromatis compositum facimus, cum in altari boni operis, virtutum multiplicitate redolamus. Quod mixtum & purum fit, quia quantum virtuti jungitur, tantò incensum boni operis sincerius exhibetur. Unde & bene subiungitur: *Cumque in tenuissimum pulverem universa contuleris, pones ex eo coram testimonii tabernaculo.* In tenuissimum pulverem

aromata universa conterimus, cum bona nostra quasi in pilo cordis, occultis discussione tundimus; & si veraciter bona sint, subtiliter retractamus. Aromata ergo in pulverem redigere, est virtutes recogitando terere, & usque ad subtilitatem occulti examinis revocare. Et notandum, quòd de eodem pulvere dicitur: *Pones ex eo coram testimonii tabernaculo:* quia tunc nimirum bona nostra veraciter in conspectu iudicis placent, cum hæc mens subtilius recogitando conterit, & quasi de aromatis pulverem reddit, ne grossum durumque sit bonum, quod agitur: ne si hoc arcta retractationis manus non comminuat, odorem de se subtilius non aspergat. Hinc est enim quòd sponsæ virtus sponsi voce laudatur, cum dicitur: *Que est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula sumi ex aromatis myrrha & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Sancta quippe Ecclesia sicut sumi virgula ex aromatis ascendit: quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed sese intra arcana cordis in rigoris virga constringit. Quæ ea quæ agit, dum recogitare semper ac retractare non desinit, myrrham quidem & thus habet in opere, sed pulverem in cogitatione. Hinc est, quòd de oblatoibus hostiæ ad Moysen iterum dicitur: *Detracta pelle hostiæ, artus in frustra concidant.* Pelle namque hostiæ detrahimus, cum à mentis nostræ oculis superficiem virtutis amovemus. Cujus artus in frustra concidimus, cum distinguentes subtiliter ejus intima, membra tumque cogitamus. Curandum ergo est, ne cum mala vincimus, bonis lascivientibus supplantemur; ne fortasse fluxa prodeant, ne incircumspecta capiantur, ne per errorem viam deserant, ne per lassitudinem fracta, antea laboris meritum perdant. In cunctis enim vigilanter debet se mens circumspicere, atque in ipsa circumspectionis suæ providentia perseverare. Unde & rectè subiungitur:

Quod in vanum bono opere laboramus, si usque in finem non perseveramus.

CAPUT XX.

Sic faciebat Iob cunctis diebus vita sua. Incaustum quippe bonum agitur, si ante terminum vitæ deferatur: quia & frustra velociter currit, qui prius, quam ad metas veniat, deficit. Hinc enim est, quòd de reprobis dicitur: *Va his, qui perdidit sustinentiam.* Hinc electis suis Veritas dicit: *Vos estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis.* Hinc Ioseph, qui inter fratres usque in finem iustus perseverasse describitur, solus talarum tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos usque ad vitæ nos terminum regit. Hinc est, quòd per Moysen caudam hostiæ in altari offerre præcipitur; ut videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseveranti fine compleamus. Bene igitur cæpta cunctis diebus agenda sunt; ut cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria constanti manu teneatur. Hæc itaque sub intellectu triplici diximus, ut fastidienti animæ varia alimenta proponentes, aliquid, quod eligendo sumat, offeramus. Hoc tamen magnopere perimus, ut qui ad spiritalem intelligentiam mentem sublevat, à veneratione historiæ non recedat.

Libri primi Moralium finis.